

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Svmmvla Selectarvm Qvaestionvm Regvlarivm

Bonagratia <von Habsheim>

Friburgi Brisgoiae, 1665

Poena ecclesiastica

[urn:nbn:de:bsz:31-160625](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-160625)

valeant, nisi quantū eis singulariter S. Pontifex concesserit, &c. Vt ergo finaliter dicam, quod sentio, jus recognoscendi & approbandi SS. Reliquias simpliciter Episcopis adiudico; quodd si approbationem & recognitionem testimoniorum Pontificiorum ab Episcopo ordinario acceperint, Prælati Regulares eas publico fidelium cultui exponere, & vt diuino officio, si sit insignis pars, venerentur, poterunt iubere. Faciunt tamen contra Concilium Trident. quicunque sine licentia Ordinarij Episcopi exponunt ad publicum cultum seu nomine Ecclesiæ. Publicus enim cultus non ex eo dicitur, quia coram multis exhibeatur, sed quia exhibetur nomine totius Ecclesiæ, tanquàm ab illa institutus, &c. De his videbis Sanch. cit. l. 2. in Decal. c. 43. Peyr. in addit. ad Const. Leon. 10.

POENA ECCLE-
SIASTICA.

353. Pœna Ecclesiastica quid sit? 354. Quoruplex?
355. Censura Ecclesiastica. 356. Irregularitas. 357. Priuatio vocis. 358. Actus legitimorum. 359. Officiorum.
360. Ad incurrendū pœnas quid requiratur?
361. Causa ab incurso pœnarum excusantes.

Kk 4

362. Pœna

362. Pœna ipso facto incurrenda, num contrahatur ante sententiam?
363. Speciatim de Censuris, Irregularitate, Iure petendi debitum Marr.
364. Ipso Iure priuatus officio vel beneficio ad quid reneatur? 365. Si sit Iuris acquirendi vel acquisiti? 366. Exemplum Religiosum.
367. Pœnarum remissio. 368. à quo petenda?
369. Pœntas Prælatorum Regularium erga subditos, 370. Confessorum. 371. Respectu Sacularium.
372. Quomodo inuandus qui priuatus est officio? &c.
373. De pœnis alijs Ecclesiasticis

CCCLIII.

Pœna quid sit?

Pœna, secundum Vlpian. l. si quis, de pœn. est supplicium, quo quis ob delictum afficitur. In Iure Canon. c. Pœnitentia, d. 3. Pœna, inquit, propriè dicitur læsio, quæ punit & vindicat, quod quisque commisit. Ut quicumque stultus est in culpa, fiat sapiens in pœna. d. 38 c. Qui ea. Dicitur læsio, strictè enim ac propriè nomine Pœnæ venit solum corporalis, seu afflictiua corporis. Largè tamen sumitur pro omni, quod pro culpa infertur, seu positiuè, quæ Pœna sensûs dicitur, id est, afflictiua appetitûs, siue inferioris siue superioris: seu priuatiuè, quæ Pœna damni vocatur, quâ pro culpa aliquid aufertur,

fertur, & infertur Priuatio, cuiusmodi est Carentia Diuinæ visionis. Sylu. V. Pœna.

354. Multiplicem Pœnarum distinctionem, & qualis cuius delicto in Iure constituta sit, præter alios passim tractantes de Iudicio Criminali, fufius tradit noster P. Philip. de Bictis in *Epirome Causar. Iudic. Regul. p. 1. tr. 10. & 11.* Peculiares pro nostra Capucinatorum Congregatione recensentur in nostris Constitutionibus, & in Modo Procedendi. in c. 1. de *Penis*. Ex his præcipuæ sunt, Censuræ Ecclesiasticæ, Irregularitas, Priuatio actuum legitimorum, vocis actiuæ & passiuæ, Beneficiorum, officiorum, Dignitatum, graduum & honorum, quæ actu habentur; Et inhabilitas ad eadem obtinenda, ita vt spontè quoque oblatum acceptare quis nequeat, & si acceptauerit, præter peccatum, quod in acceptando committit collatio omni valore careat. De his, quoniam in Bullis atque Decretis SS. Pontificum, SS. Congregationum, Constitutionum &c. sæpe sæpius imponuntur tam contra Sæculares, quàm Regulares; reseruanturque pari modo, quo ipsæ culpæ; Itidemque vel à Superioribus Regularium, vel etiam subditis Confessoribus relaxari possunt etiam respectu sæcularium pro Confessione ad eos recurrentium, hic singula-

Kk s

um

CCCLIV.

Quotum
plexæ

tim agendum est, quid sint? quando incurrantur? & quomodo relaxentur?

CCCLV. *Censura Ecclesiastica.* 355. *Censura* à censendo dicitur, prout autē est in vsu Ecclesiæ, definitur; Pœna spiritualis inst. Et ab Ecclesiastica potestate, priuās hominem baptizatum vsu aliquorum bonorum spiritualium, puta, Sacrificij, Sacramentorum, Ecclesiæ suffragiorum & satisfactionum &c. adiuo vel passiuo, donec à contumacia recedat. Huius species etsi raulti plures assignent, communiter tamen tres tantum admittuntur, ex c. *Quarenti, de Verbor. signif. videlicet Excommunicatio, suspensio & interdictum.*

Excommunicatio. Excommunicatio est *Censura Ecclesiastica*, qua homo baptizatus priuatur aliquibus bonis communibus, nempe consortio fidelium, participatione Sacramentorum & communibus Ecclesiæ suffragijs.

Suspensio. Suspensio est *Ecclesiastica Censura* priuans Clericum vsu Ecclesiastici officij aut Beneficij, vel ordinis in totum vel in partem, in perpetuum vel ad tempus.

Interdictum. Interdictum est *Ecclesiastica Censura*, Sacramentorum vsum, diuina officia & sepulcrarum Ecclesiasticam secundum seipsam prohibens.

CCCLVI. *Irregularitas.* 356. Irregularitas quid sit, & quomodo distinguatur à Censuris prædictis, dictū est *V. Irregularitas.* Veruntamen ad hunc locum

locum spectat ea solum, quæ est ex delicto, alia enim quæ ex defectu alio sine delicto reddit inhabile ad SS. Ordines vel recipiendos, vel exercendos, pœna nō est, quæ, ut dictū, pro culpā solū infertur. Idē sentias, de quacunque alia Inhabilitate, quā quis ad aliquod quodcunque officium seu functionem, &c. incapax est, nō ob culpā, sed meram carentiam illarum conditionum, quæ ad officiū tale vel functionem requiruntur.

357. Privatio vocis activæ & Passivæ seu Iuris suffragiorum, inhabilitat tam ad ferenda, quàm ad consequenda suffragia in quacunque electione, vel negotio quod in Capitulis Regularibus expediri solet, ut ex Nau. & alijs tradit P. Vecch. de Nouit. disp. 12. dub. 5. qui proinde negat ita privatos suffragium posse præstare in receptione Novitiorum. Idem dicit Pœna privationis Electionis. Possunt tamen iure Electionis privati licitè vices Guardianorum sustinere & alia huius generis officia exercere, quæ non per viam Electionis, vocisq; activæ & passivæ, sed per collationem seu delegationē obtinentur. P. Sigism. de Elect. dub. 90. n. 4.

358. Privatio actuum legitimorum inhabilitat ad omnia officia & quod talis non potest legere, prædicare, eligere, eligi, visitare, definire & ad Ordines promoveri. Insist. Ordinis. c. 1. de Pœnis.

359. Pri-

CCCLVII.

Privatio
Vocis.

CCC-

LVIII.

Actuum

legitimo-

rum.

CCCLIX. 359. Priuatio officiorum Ordinis inha-
Officiorū. bilem reddit ad omnia munia, quæ Super-
 riorū propria sunt & superioritatem quan-
 dam continent: Qualia sunt Generalatus,
 Prouincialatus, Guardianatus, Superiora-
 tus Hospitiorum, eorumque Vicariatus,
 quando illi defuncti, vel priuati sunt. Du-
 bium est de Definitoriatu, Discretatu, &
 officijs oneris, v.g. Concionatoris, Con-
 fessarij, Lectoris, Magistri Nouitiorum, &c.
 ea etiam comprehendi docet P. Sanctorus
 de Melffi in *Pract. Crimin.* §. *Pœnarum gene-
 ras.* referens ita determinatum in Capit. Gen-
 ner. Vallisolet. c. 7. sui Ordinis de Obseru.
 Idem tenet Lezan. 10. 1. qq. Reg. c. 10. n. 23.
 10. 2. c. 13. n. 1. Et 10. 4. V. *Officia Religion.*
 quem ex nostris sequitur P. Bistis in *Epit.*
Caus. Iud. Regul. q. 130. n. 5. Id extendens
 etiam ad officium Vicarij in absentia Præla-
 ti, Sacristæ, &c. Oppositum docent Sanch.
 Filliuc. Sorbo, Dian. quos refert ac sequi-
 tur Bassæ. 10. 1. V. *Clausura.* n. 16. Et V. *Ex-
 communicatio.* 8. §. *Vnico.* n. 6.

CCCLX. 360. Ad incurrendum prædictas pœ-
Ad incur- nas requiritur vt delictum, ob quod impo-
rendū pœ- nuntur, sit 1. Externum; nam Ecclesia non
nas quid iudicat de occultis internis, sed ea soli Deo
requeri- referuat. c. *Consuluitis.* 2. q. 5. c. *Erubescant.*
sur? 32. *dist. supra V. Occultum.* 2. Opere consu-
 summa-

summatum: quia crimen non intelligitur nisi consummatum. Et attentatio criminis v. g. homicidij non est homicidium, neque conatus ad incœstum est incœstus, &c. neque extendi etiam debent de casu ad casum vel ad cooperantes, &c. Si tamen ipsa quoque criminis attentatio, cooperatio, &c. expressis verbis ponantur, nemo dubitat ad has quoque pœnas extendi. Lezan. V. Pœna Eccles. n. 6. Debet 3, secundum conditionem & quantitatem operis externi, delictum esse mortale; aliàs enim lex esset iniqua, quæ pro leui culpa pœnam tam grauem imponeret. Lezan. cit. vbi tamen hoc ait fallere in Constitutionibus Religionum, quæ ad culpam non obligant, sed solum ad pœnam, quales esse nostras dixi V. Constitutiones.

367. Immunem à pœna, quæ pro culpa lethali statuitur, reddet quicquid à peccato mortali excusat, vt Indeliberatio, vis, necessitas ineuitabilis, materiæ paruitas & ignorantia tam juris, quàm ipsius pœnæ. Ita pluribus allegatis Portel. in dub. Reg. V. Ignorantia, vbi n. 22. Ad incurrendam Excommunicationem, ait, non sufficere, quòd sciam opus esse prohibitum ab Ecclesia, sed vt sciam de pœna, idque prohiberi sub excommunicatione: Ita de cæteris pœnis, suspensione, interdicto, Irregulari-

CCCLXL
Causa ab
incusfa
pœnarum
excusato-
res.

regularitate, &c. Et n. 27. Ignorantia vincibilis, inquit, siue facti, siue juris imponentis censuras & alias pœnas spirituales, siue factum illud sit peccatum mortale, si tamen non fuerit ignorantia crassa & supina, excusat ab omnibus illis pœnis, &c. siue latis à jure communi Papa, siue à particulari Diœcesanorum. c. 2. de Confess. in 6. vbi dicitur Ignorantia, dummodo non sit crassa & supina, excusare ab omnibus sententijs, &c. vbi per verbum, sententia, intelligitur sententia lata pro quibuscunque pœnis. Addit autem ex Grassi. culpam latam seu ignorantiam crassam esse illam, quæ vel ex malitia, vel ex nimia negligentia procedit, Sanch. l. 9. de Matr. disp. 32. n. 33. defendens Gl. & DD. contra Castro, dum dicunt eam ignorantiam contingere, quando quis non videt coram se positum & quod omnes sciunt instar crassi hominis; hoc, ait, non intelligunt, dum ignorantur publica, sed eam res adeo aperta, facilisque scitu est, ut modicâ diligentia possit à quocunque sciri, ac proinde nulla sit ignorandi causa. Nau. in Man. c. 23. n. 45. Ignorantiam crassam describit, quando quis ignorat id, quod communiter omnes sui Ordinis sciunt. Ignorantia quantumcunque crassa, nisi esset ingens temeritas, excusabit à pœna, si lex prohibeat sub his verbis: si quis ausus fuerit, presumpserit, Port. cit. n. 28.

Item

Item si verba talia essent: qui temerè, consulo, suadente diabolo, aliquid fecerit, aut cõtempserit, &c. Duard. in Bull. Cæn. D. l. 2. q. 36. licet de ly, suadente diabolo, contrarium velit Portel. n. 30. putans, suadente diabolo solum innuere, quod sit percussio mala & illicita.

Hic duo aduertas, 1. Prædicta procedere de illa Irregularitate tantum quæ est ex delicto, de hac enim solum hic agitur, non autem de illa, quæ ponitur non ob delictum sed ex indecentia vel defectu significationis, qualis est v. g. Bigamia, quam certum est apud omnes, contrahi etiam si operans inuincibiliter omnino ignoret irregularem esse, qui Bigamus est. 2. Quamquam superior doctrina quascunque pœnas respiciat, rectè tamen Bonacin. de Cens. disp. 1. q. 2. p. 1. n. 13. eas tantum intelligit, quæ sunt exorbitantes & extraordinariæ, cum pœnæ debeant proportionari delicto, minus autè delinquit, qui nescit pœnam positam esse tali delicto, quàm qui illam nouit. Secus est de pœna mediocri, delinquens enim aut nouit pœnam mediocrem, aut scire debuit & potuit, saltem lumine naturæ dictante delicta puniendi esse.

362. Controuertitur, an pœna ipso facto irrogata incurratur ante latam iudicis sententiam declaratoriam? Not. duplicem esse sententiam

CCCLXII.

Ad incursum pœnæ nã requiritur sententia

esse sententiam

esse pœnam, à jure & ab homine, vtramque rursus aut ferendam aut latam sententiæ. *A jure* dicitur, quæ fertur à legislatore cum intentione condendi legem seu statutum generale perpetuū, iniunctâ transgressoribus pœnâ. *Ab homine* est, quæ per judicis sententiâ infligitur. Pœna *ipso jure lata* dicitur illa, quæ posito delicto statim irrogatur, vt si dicitur: *Qui tale delictum commiserit, sit ipso facto vel jure, vel ex tunc, illico, &c. excommunicatus vel priuatus, &c.* aut per verba de præsentis aut præterito, *priuamus, &c. est priuatus, &c.* aut imperatiui modi, *priuatur, &c.* Pœna verò *ferenda* vocatur, quam iudex comminatur delinquenti: dicendo, *Prohibemus sub pœna vel interminatione priuationis, &c.* aut per verba temporis futuri, *priuabitur, &c.* Aliquando etiam verba imperatiui modi pœnam significant tantummodò inferendam, si nimirum vt executioni mandetur, requirit propriam ipsius delinquentis actionem, vel executioni mandanda sit per actionem alterius, P. Caspensi. *de legib. disp. s. s. 2. n. 8.* Hoc supposito, circa præsentem controuersiam

Pœna lata.

Pœna ferenda.

Sententia duplex.

Duplex est sententia, prima asserit pœnas à jure latas, vt incurrantur ipso facto, eo ipso incurri, quo crimen, cui annexæ sunt, contrahitur. Opposita sententia probabili-

lior, est non incurri in foro conscientia, etiam quando ponuntur illis verbis: *ipso facto, ipso jure, eo ipso vel similibus*, nisi præmissâ declaratione Superioris: Imò etsi tales pœnæ ponantur illis verbis: *absque vlla declaratione, absque vlla sententia, ante declarationem sententia, &c.* probabile est non incurri in foro conscientia, nisi præmissâ declaratione sententia aut publicatione delicti, non tantùm loquendo de pœnis non purè priuatiuis, in quibus exequendis aliqua actio hominis requiritur, vt sunt pœnæ carceris, &c. Verùm etiam in purè priuatiuis, in quibus nulla talis actio requiritur, vt sunt Inhabilitas, incapacitas, &c. Ita vt verba illa, *sine declaratione, &c.* tantùm importent declarationem pœnæ, non tamen criminis aut delicti. Ratio est, quia sic videntur communiter acceptare leges tales pœnas imponentes, & est vsus conformis tum benignitati, quæ supponitur in Superioribus Ecclesiæ, tales pœnas imponentibus, tum juri naturæ, quod præscribere videtur, vt nullus seipsum puniat pœna tam graui. Atque ita tenent expressè Leza. *V. Pœna Eccl. n. 8.* Et P. Chassain. *de Priuileg. Reg. tr. 4. c. 2. prop. 4. in fin.* asserens hanc esse communem Thomistar. & in praxi seruari per sui Ordinis de Obseru. Constitutiones

Ll

appro-

approbatas à Sede Apostolica. Immeritò
 verò pro contraria sententia refert N. P.
 Sorbum, qui se pro nostra stare his apertis
 verbis ostendit in *Comp. Priu. V. Dare. In De-*
clar. Bull. de largit. Mun. vers. 2. Not. vbi;
quamuis, inquit, dicatur per verba expressa,
ipso jure, ipso facto, nullà expectatà declaratio-
ne, nunquam intelligitur, vt ipsemet Reus tene-
atur subire pœnam, ante declarationem factam,
cùm nemo teneatur sententiam executioni man-
dare contra seipsum. Felin. in c. 1. de Confit. n.
13. D. Thom. 22. q. 62. a. 3. Nauar. in Man. c.
23. n. 67. Et idè iste talis, donec inquiratur,
potest accipere & dare vocem & exercere officia
& dignitates, quia non intelligitur incidisse in
pœnam, nisi securà sententià condemnatoriã
vel saltrem declaratoriã fuisse commissum deli-
ctum. Hæc ille, qui ne sibi contrarium dicat
Chassain, allegans V. Ingressi Monast. n. 10.
mox subiungit: Hoc tamen, inquiens, intel-
ligitur de pœnis exterioribus, exigentibus iudi-
cis executionem, non autem de alijs pœnis, vt
sunt Censura, Irregularitates, &c. quibus ali-
quis efficitur indignus atque incapax alicuius
rei; nam istæ pœnæ statim actum habent in foro
conscientiæ, &c. Quinimò in altero quoque
loco prius illud extendit ad has ipsas censu-
ras, quando in Decreto solùm dicitur (in-
cidant in suspensionem vel sine suspensi ipso facto)

& nihil amplius dicendo; sed quando vltra additur (*sine aliqua declaratione*) vt in motu proprio de Ingressu Monast. Monial. ponitur; *Tunc dicimus (inquit) non opus esse Indicis declaratione.*

363. Cæterum exceptionem illam Censurarum & Irregularitatum omnes comūniter ponunt, quibus Sanch. l. 9. de Matr. disp. 30. n. 1. addit *Priuationem juris perendi debitum ratione cognationis vel affinitatis incestuosæ, &c.* cumque huius & aliarum priorum exceptionum prius attulisset rationes varias, ijs tamen reprobatis fatetur se nullam concludentem inuenire, quam quod ita sit vsu receptum & declaratum, vt nullam hæc potius quam alia, indigeant sententiâ condemnante aut crimen declarante. Hanc rationem Naldus etiam *V. Pœna. n. 27.* vocat adæquatorem; & ita sequuntur P. Sigism. de Elect. d. 89. & alij.

364. Quomodo autem non sequatur ided verba illa, quibus aliquis ipso iure officio vel beneficio priuatus dicitur, frustraneè poni, explicant P. Sigism. l. c. Sanch. l. 2. Moral. c. 22. Lessius de Iustit. c. 29. n. 64. & alij, dicentes, pœnam impositam ipso facto vel iure hoc efficere, vt transgressor legis eo ipso amittat jus ad officium seu beneficium, ita vt non sit amplius illius dominus;

CCC.

LXIII.

Speciatim de Censuris, Irregularitate, & Priuatione juris perendi debiti Comungals.

CCC.

LXIV.

Ipsa iure priuatus officio ad quid tenetur?

nus, & quamvis permittatur possessio & v-
 sus, quibus ante causæ cognitionem nemo
 priuari debet. *c. licet Episcopus. de Prabend.*
in 6. Mox tamen ac per iudicem pronun-
 ciatur sententia declaratoria commissi cri-
 minis, retrahitur ad omnia officia & di-
 gnitates, quas habuit reus à die perpetrati
 delicti, & per consequens compellitur om-
 nem fructum ab eo tempore perceptum re-
 stituere, reuocantur omnes contractus per
 delinquentem initi ratione illorum officio-
 rum seu dignitatum, & Quæ omnia non
 euenient in pœna inferenda solummodò.
 Ratio desumitur *ex c. Cum secundum. de Hæ-*
ret. in 6. in quo, præmissis aliquot exem-
 plis criminum, quibus à iure ciuili bonorū
 confiscatio ipso iure decernitur, de bonis
 hæreticorum idem à potiori decernendo,
 subiungitur. *Bona hæreticorum ipso iure de-*
cernimus confiscata, confiscationis tamen huius-
modi executio vel bonorum ipsorum occupatio,
fieri non debet per Principes, aut alios dominos
temporales, antequàm per Episcopum loci, vel
aliam personam Ecclesiasticam, quæ super hoc
habeat potestatem, sententia super eodem cri-
mine fuerit promulgata, & c. sunt quidem alij
quorum sententiam Barbos. in dicto c. Cum
secundum. n. 4. vocat magis receptam & for-
tè probabiliorem, dicentes Ius illud seu do-
minium

minium rerum suarum non amitti, donec per sententiam declarentur. Sed utrumvis dicamus, perinde sequitur, Clausulam, qua pœnæ ipso facto incurri feruntur, hunc semper habere effectum, ut factâ criminis declaratione, pœnæ retrotrahantur ad diem commissi criminis; Quare Sanch. *vbi sup. n. 5. ad illud c. Cum secundum* dicit, Bona hæreticorum esse ipso iure à die patratî criminis publicata, nihil aliud esse, quàm ex tunc esse ipso iure fisco obligata, ita ut latâ sententiâ retrotrahatur confiscatio ad illam diem, atque idè delinquentem amittere dominium imperfectum tantummodò & sub conditione, si proferatur sententia. Manet itaque semper dictam Clausulam frustraneè non poni, & habere differentem effectum, quem non habet pœna ferenda solidum.

365. Veruntamen animadvertendum hîc maximè est, num pœna, quæ ipso facto inferatur, sit priuatio *iuris acquirendi*, an verò *iuris acquisiti*, & iam incœpti possideri: si enim priuet jure acquirendo, prout fit in excommunicatione, quæ *vt dixi V. Electio. n. 166.* etiam occulta, cùm inhabilitet ad beneficia eorumque fructus. *C. Postulastis. de Cler. Excom.* omnem idcirco excommunicati electionem irritat & inualidam reddit,

L 1 3

dit,

CCC-

LXV.

*Si sit iuris
acquirendi
vel acquisiti?*

dit, sicut excommunicatio ipso facto, & ante omnem sententiam declaratoriam incurritur, ita opus non est, ut eâ innodatus, jure ac dominio beneficij ac fructuum indè perceptorum priuatus per sententiam declaratur, vel etiam quod crimen tale commiserit, Priuatio enim præsupponit habitum, & nemo priuatur, nisi prius habuerit id, quod fuit priuatus. *L. decem. 117. ff. de Verb. oblig. Barbos. in axiom. tit. 189.* Talem igitur pœnam non attingit, quod paulò ante dictum est, sed eam solum, quæ priuat jure iam acquisito & legitime possessio, pro altera vide infra n. 372.

CCC-
LXVI.
*Exemplū
Regulare.*

366. Hinc intelliges, quid facere debeant Religiosi, quando legem vel statutum habent, siue communi iure Pontificio, siue particulari Religionis, quo quis pro aliquo crimine inhabilis aut priuatus officio discernitur. Nam si crimen illud secum trahat censuram ipso facto incurrendam, eo ipso quo crimen committitur, Inhabilis etiam quis efficitur ad officium, donec à censura liberetur. cum censuræ tales ante omnem sententiam ipso facto incurrantur, & pœna sit non de iure iam acquisito, sed acquirendo. Si lex ipso facto priuet quem officio iam adeptum, cum Prælatum probatum ac declaratum delicto, non habet necesse in sententia

sententia exprimere pœnam priuationis; iam enim hæc imposita & incurfa est ipso facto, declarato delicto: quamuis non antea quam feratur talis sententia, Sin autem illa pœna priuationis ponatur per statutum, & non dicat, *ipso facto &c.* tunc ultra declarationem criminis in sententia debet exprimere pœnam Priuationis & ad illam condemnare. Idem dic, quodcùnque pœna Priuationis officij non est imposita à lege, per verba indicãtia pœnam lata sententiæ, sed ferendæ solùm, vt *quod delictum sit dignum priuatione &c.* debet enim Prælatus tunc declarare delictum, & ad pœnam illam damnare, secundùm quod illa postulat.

367. Remittuntur pœnæ vel per absolutionem vel dispensationem. Nota, differte *Dispensationem & Absolutionem*, nam *dispensatio*, est legis seu Iuris alicuius per legitimum Superiorem relaxatio, & dispensare est idem quod à legibus soluere, & à vinculo legis eximere. *L. Princeps ff. de LL.* *Absolutio* autem significat Iustitiæ actum, quo terminatur Iudicium & sententia, unde potius est secundùm quàm contra legem, si persona absolutionem mereatur; per dispensationem autem dicitur vulnerari Ius Publicum, & si sine causa fiat, dicitur poti-

CCC.
LXVII.
*Penarum
remissio.*

us dissipatio, quàm dispensatio: Barbos. de
off. & potest. Episc. alleg. 33. n. 6.

Absolutione tolluntur peccata, & pro
peccatis inflictæ censuræ: Dispensatione
autem Irregularitates & cæteræ pœnæ Ec-
clesiasticæ. Vtrum & istæ per Absolutio-
nem tolli queant per facultatem absoluendi
à censuris & pœnis, &c. Consule dicta V.
Irregularitas. n. 251. Quis porro Censuras &
Irregularitates auferre valeat, V. Absolutio,
Et V. Irregularitates. Cæteras Pœnas, Pri-
uationes, inquam, officiorum & Inhabili-
tates, &c. vel ad suspensionem vel irregu-
laritatem reduci, speciatim in Conc. Trid.
sess. 24. c. 6. de Reform. tenent graves Autho-
res, quorum aliquos refert ac sequitur P.
Bassæ. to. 1. V. Abbas. §. 4. vers. Sexto. pote-
runt ergo pœnæ tales eadem facultate tolli,
quâ suspensiones & Irregularitates ex delicto.
Quare si quis id sentiat, ut huiusmodi
pœnæ, etiam quando sunt occultæ, ante
sententiam declaratoriam incurrantur, va-
lebunt easdem relaxare ut dicti Conc. Trid.
sess. 24. c. 6. ij omnes, quibus facultas datur
ad instar Episcoporum, de quibus V. Absolutio
quoad FF. n. 16. V. Absolutio quoad Seculares,
n. 35. Et V. Irregularitas. n. 256. ac n. 260.

368. Verum agendo de pœnis ut puræ
pœnæ sunt distinctæ à censuris, hoc ante
omnia

CCC-
LXVIII.
A quo pe-
tenda?

omnia notum esse debet, quod sicut nullus Inferiorum dispensare potest in lege sui Superioris, P. Chassain. de Priu. Reg. 17. 4. c. 2. prop. 5. arg. c. Inferior sedes. dist. 21. Ita nec etiã possunt in pœnis eiusdem legis, vel ab eo per sententiam (quæ est veluti lex priuata) impositis; quare neque Prælati locales super pœnis inflictis à Prouinciali, nec Prouinciales super pœnis inflictis à Generali, aut hi, quando à Papa vel ab alijs supremis Superioribus impositæ sunt, dispensare poterunt; nisi ad hoc legitimam potestatem acceperint. Prout i.

Cum Generalis & Prouinciales, iuxta Concessionem Pij 5. Romani Pontificis, die 21. Iun. 1571. per seipso idem omnino possint in fratres & Moniales sibi subditas, quod possunt Episcopi in Clericos & Laicos sibi subiectos, tam quoad absoluendi & dispensandi huiusmodi, quam alias quascunque facultates &c. possunt idèò dispensare suos subditos etiam in foro externo super pœnis inflictis ob crimina, quæ non sunt maiora adulterio, quia in c. Etsi Clerici, de Iudicijs. dicitur, quod in adulterio & alijs minoribus delictis, potest Episcopus dispensare cum Clericis, peractã pœnitentiã in pœnis talium delictorum, etiam si ponantur verba, quod ipso facto perueno sit priuatus. Ita citatis Dian. & alijs

Ll § Chafs,

Chafs. *vbi supra* prop. 3. P. Sigism. *de Elect.*
dub. 94. præsertim verò Rodriq. *to.* 1. 99.
Regul. 9. 24. a. 17. Vbi inter delicta adul-
 terio maiora numerat Periurium qualifica-
 tum, Simoniam, inçestum, Sodomiam,
 assassinatum: Item Subornationem in Ele-
 ctionibus, cum sit crimen contra Rempub-
 licam, sicut est crimen læsæ Maiestatis &
 furtum publici ærarij, &c. Minus autem
 adulterio est fornicatio, stuprum, periuri-
 um simplex &c. Item Introductio mulie-
 rum intra Monasteria Virorum, cum non
 sit intçinsecè mala, sicut adulterium, &c.

CCC-
 LXIX.

*Potestas
 Prælatorũ
 Regulari-
 um erga
 subditos.*

369. Secundum Priuilegia concedit P.
 Cyprian. *in Reg.* c. 7. *Leet.* 12. *in fin.* omni-
 modam dispensandi facultatem Prælati
 ordinum respectu subditorũ Regularium,
 in vtroque foro tam interno quàm externo,
 circa pœnas huiusmodi, nominatim quoad
 priuationes & inhabilitates. Tum quia
 nomine suspensionum, vel etiam Irregula-
 ritatum veniunt, in quibus *vt suis locis di-*
ctum, amplissimã facultate potiuntur dicti
 Prælati; tum ex Priuilegijs speciatim Clem.
 4. Eugen. 4. & Greg. 14. Verum quia hic
 postremus pro foro cõscientiæ tantum con-
 cessit; Eugenius autem pro vna vice dun-
 taxat; Clementis demum concessio, cæ-
 teris quidem amplior, cum eos tantummo-
 do

dō casus excipiat, qui propter enormitatem
 ad Sedem Apostolicam remittuntur, pœnæ
 tamen expressam mentionem non facit, at-
 que per tot sæcula diuersas perpeſſa est alio-
 rum Pontificum limitationes vel etiam re-
 uocationes, proferā recentiore aliquam
 memoratu digiſſimam, quam valde miror
 vix ab vno vel altero auctore obiter attingi.
 Ea verò est Pauli 3. facta Societati Iesu, in
 Bulla: Licet Debitum, A. 1549. 15. Cal. Nou.
 cuius hæc genuina sunt verba: *Generalibus*
Prepositis pro tempore existentibus, vt per se vel
alios ad id per eos, pro tempore destinatos, om-
nesque & singulos eiusdem Societatis Socios &
personas sub eorum obedientiâ, disciplinâ &
correctiōe pro tempore degentes, ab omnibus &
singulis eorum peccatis, ante vel post ingressum
in dictam Societatem, per eos commissis; necnon
à quibusuis excom. suspens. & interdicti, aliisq;
Ecclesiasticis & sæcularibus sententiis, cen-
suris & pœnis à Iure vel ab homine quo-
modolibet latis & promulgatis, & huiusmo-
di sententijs innodatos aut in locis suppositis Ec-
clesiastico Interdicto diuina officia celebrantes,
& suscipientes Ordines, sic ligatos & propterea
Irregularitatem incurrentes, absoluere, ac cum
eis, cum dispensatione eguerint, dispensare pos-
sint, nisi excessus absoluendorum & dispensan-
dorum huiusmodi adeò graues & enormes fue-
rint,

rint, quòd sint ad Sedem Apostolicam meritò remittendi; & ne sæpè in dubium reuocetur, qui sint ad Sedem Apostolicam destinandi, declarationem in oia parte per sol. rec. Sixtum 4. Prædecessorem nostrum, in Bulla, quam Mare magnum vocant, factam confirmamus, &c. Hucusque Bullæ tenor, in qua notetur inprimis, quòd post enumeratas censuras Excom. Suspens. & Interdicti, subiungitur, alijsque Ecclesiasticis & Secularibus sententijs, censuris, & pœnis à Iure vel ab homine quomodolibet lazis & promulgatis, &c. sine vlla restrictione aut limitatione, excipiendo solùm casus Sixtinos 4. scilicet Hæreticos relapsos, Schismaticos, & qui litteras Apostolicas falsificassent aut ad infideles prohibita detulissent. Pro quibus, vt & alijs clausulis, vide dicta V. Absolutio quoad FF. n. 16. & 17. & Urban. ab Ascens. Theol. Mor. tr. 2. p. 2. diff. 1. c. 1. Reg. 13. vbi contra Soar. efficaciter probat, per eam Bullam dari facultatem in Irregularitatibus etiã ex delicto resultantibus, sicut & in alijs, quæ sunt in Episcoporum Iurisdictione, vno verbo, in omnibus, quæ propter delictũ quodlibet contrahuntur, quæ sunt veræ & puræ pœnæ, iuxta communem Doctorum omnium consensum. Neque verò aliqua huius Priuilegij scitur, quoad pœnas singulariter, derogatio

tio vel moderatio, quin potius aliquoties innouatum fuisse virtute confirmationum Apostolicarum, quæ postmodum emanarunt, constabit ex dicendis *V. Priuilegium*, vbi etiam de priuilegiorum communicatione.

Eandem dispensandi facultatem à pœnis priuationum, inhabilitationum, &c. ad officia, vocem, &c. concessit Sixtus 4. PP. Eremitis S. August. in Bulla: Dum fructus vberes, apud Rodriq. inter Bullas Sixti 4. Bullâ 34. cuius valorem, ad nostrum intentum, tuetur Lezan. to. 5. in Mari Magno PP. prædictorum, n. 124. & seqq. quibus & FF. Minores communicare ex Indulto speciali eiusd. Pontificis in Bulla aurea, notatum reperies infra *V. Priuileg. n. 412*.

370. Quanta sit in huiusmodi dispensationibus potestas Guardianorum & aliorum Confessariorum, videre licet *V. Absolutio quoad FF. n. 21. & V. Electio. n. 189.* vbi similiter resolutum fuit, quid agendum sit, dum quis propter inhabilitatem officium aliquod seu beneficium inualidè adipiscitur, vel adeptus priuatur, ac demùm quem valorem acta in eo statu habeant, n. 179.

371. Quantum ad extraneos idem Paul. 3. in alia Bulla: Inter cunctas. dat. 3. Iun. An. 1545. eiusdem Societatis Religiosis concessit, *um*

CCCLXX.
Confessorum.

CCC.
LXXI.
Respectu
Secularis
um

fit, vt possint quoscunque fideles vndeunque accedentes adsoluere à quibusvis casibus & peccatis quantumuis grauibus & enormibus, etiam Apostolica Sedi reseruatis, præterquam in Bulla Cœna contentis, & à quibusvis, ex illis casibus, resultantibus sententijs, censuris & pœnis Ecclesiasticis, &c. Quid pœna nomine veniat, paulò ante dictum est; verbo autem absoluendi, venire dispensandi facultatem. V. Irregularitas. n. 251.

CCC-
LXXII.

*Quomodo
inuandam
qui est pri-
uatus of-
ficio.*

372. Quomodo inuari possit, qui propter censuras, irregularitates, simoniam, aliudue crimen inhabilis aut aliàs absque titulo & formà canonicà intrusus aliquod beneficium Ecclesiasticum inualidè obtinuit, vel etià legitimè iam possessi, in pœnam delicti, priuationem incurrit, apparet ex n. 365. & V. Electio. n. 169. Tenetur aliàs beneficium irrità collatione obtinens (de beneficio legitimè obtento, vide cit. n. 364. & 365.) non solum beneficium resignare, sed etiam fructus perceptos restituere (nisi sic pauper, tum enim potest ex iisdem fructibus impenso labori respondentibus, accedente etiam præsertim Confessarij consilio, accipere siue retinere ea, quæ strictè sunt necessaria ad vitam; imò & alios fructus suo seruitio respondentes, adque honestam sustentationem pertinentes. Tanner, 10. 3.

diss.

disp. 4. q. 6. dub. 7. n. 161.) nisi titulus reu-
 lidetur, ipsumque beneficium denuò vali-
 dè conferatur per eum vel eos, quibus id
 de iure competit. Dicitur verò fuit *cit. V.*
Electio. n. 169. absque noua etiam præsen-
 tatione, collatione vel electione, eo ipso,
 quo quis occultè illius inhabilitatis dispen-
 sationem obtinuit, siue dispensans habeat
 potestatem conferendi beneficium, siue illà
 careat, posse licitè retinere illud beneficiù,
 necnon & fructus recipere à se malè percep-
 tos aut debitos. Citavi ad hoc aliquot Au-
 thores, quibus nunc addo P. Bassæ, *to. i. V.*
Excommunic. 3. n. 17. allegantem insuper
 Less, *de iust. c. 34. dub. 22. n. 119.* Coninch.
disp. 14. dub. 9. n. 73. Dian. *p. 5. tr. 9. Resol.*
101. Vide porro & Tanni. *cit. n. 165. & 166.*

Si quis non in pœnam criminis beneficio
 priuetur, sed ob defectù conditionis requi-
 sitæ, vt si beneficiarius Religionem profite-
 atur, aut si Parochus institutus intra annum
 ad Sacerdotium non promoueatur, & alijs
 similibus casibus, in quibus, cum aliquis
 beneficio non excidat in pœnam, sed quia
 sub hac cõditiõne illud accepit, ne aliquid
 illorù faceret; non impletâ conditione ipso
 jure naturali, ipsum beneficiù resignare &
 fructus postea perceptos restituere obliga-
 tus est. Idem *ex communi, n. 180.*

Impedi-

Impedimenta quæ quempiam reddant inhabilem ad beneficium acquirendum videre licet apud Lels. l. c. n. 119. & seqq. Bassæ: 70. 2. V. Beneficium. 2. Zerol. p. 1. Prax. Episc. V. Intrusus. Crimina ob quæ Clericus beneficio, ipso iure sine vlla Iudicis sententia priuatur, enumerat Azor. p. 2. Instit. Mor. l. 7. c. 17.

CCC.
LXXIII.
De pœnis
alijs Ec-
clesiasti-
cis.

373. Sunt & aliæ pœnæ Ecclesiasticæ in Bullis apponi solitæ, sicut & Regularibus peculiariter vsitatæ, sed ex vel non sunt huius loci, vt degradatio & depositio, quæ sunt pœnæ irreuocabiles &c. velle dicitis constant, vt Irritatio actuum factorum, &c. vel reservationem nullam habent, vt pœna Maledictionis seu Indignationis Dei & SS. Obtestationis Diuini Iudicij &c. quæ licet videantur importare idē quod excommunicatio, communiter tamen intelliguntur de pœna æterna, quæ debetur pro peccato mortali, & idēd significant præceptum illud obligare sub mortali. Pœnam indignationis Pape, quidam aiunt importare priuationem beneficiorum. Sed Lezan, V. Pœna. n. 16. tantum pœnam à Papa imponendam existimat.

Quid in hoc genere pœnarum operetur absolutio data in Visitationibus, vide V. Visitator,

PRÆDI-